

Quæ post  
An. 1661?

At Anno 1661. Civitates primo Imperiales in Alsatia  
fitas suæque Præfecturæ conceditas vexare cœpit Gallia  
atque Iuramenti, quo adstringebantur Præfecto, formu-  
lam ita immutare, ut iam non amplius de conservandis qui-  
busdam Iuribus Præfectorum specialibus, sed de plenaria  
Subiectione ageretur, de quibus moliminibus quid quoad  
punctum Iuris senserit ipse Galliarum Regis Minister de  
GRAVEL, locis infra citatis (1) videri licet.

Compro-  
missum  
frustra ten-  
tatum.

Tandem eo res deducta est, vt Galliarum Rex com-  
promitteret in nonnullos ex ordine omnium Imperii Sta-  
tuum eligendos tum ex parte Imperii, tum & Regis ipsius;  
electi quoque sunt arbitri compromissarii, acta coram iis  
res, lata Anno 1669. 4. Decembr. Sententia, per quam Iura-  
menti quædam Formula proponebatur, iamque in eo erant  
Arbitri, ut & singula Præfecti dictarum Civitatum Impe-  
rialium Iura examinarent atque determinarent: ast, cum  
illa Sententia minus esset ad palatum Regis, noluit eidem  
stare arbitrisve amplius se submittere. Omnia sic in eo,  
quo tum erant, statu permansere, usque ad Annum 1672,  
quo bellum exarsit Imperium inter atque Galliam, per Pa-  
cificationem Neomagiensem Anno 1679. extinctum.

Acta in Pa-  
cificatione  
Novia-  
magensi

Fundamentum huius præbebat Instrumentum Pacis  
Monasteriensis, confirmatum denuo in omnibus & singulis  
eius articulis, quatenus id per Pacem hanc posteriorem di-  
fertis verbis immutatum non esset, & sic satis prospectum  
existimabatur Statibus Imperii Alsaticis, (2) sed frustra.

Eodem

1) Extat scriptum hoc lectu dignissimum sub Rubro: *Raisonnement de Ms. de Gravel Plenipotentiaire du Roi très-Chretien, touchant les Droits, appartenans au Roi sur les dix Villes Imperiales d'Alsace, envoyé à la Cour le 25. d' Aout 1661. & depuis à Monsieur le Duc Mazarin le 8. Avril 1664. dans les Memoires &c. de la Paix de Ryswick Tom. 2. p. 413. item dans les Actes & Memoir. de la Paix d' Utrecht. Tom. 1. p. 416.*

2) Quos insuper Designationi Statuum vi art. 24. restituendorum nomina-  
tim inservit Legatio Cæsarea. vid. CORTREIVS ad Pac. Noviomag.  
Gall. p. 89.